Epistola 94. IOHANNI COCCEJO IACOBUS REVIUS.

Reverende et clarissime vir.

Gratissimas tuas simulac accepi, exemplaria Orationis tuæ inauguralis eis quibus destinabantur tradi curavi: meo nomine gratias ago quas possum maximas. Gratulor T. R. professionis Theologicæ accessionem, sed præcipuè Academiæ Franequeranæ tantum bonū, quantum ei ab eruditissimo, optimo, et quod in tantis dotibus rarū est, modestissimo viro eventurum esse non de nihilo auguror. Faxit Deus ut quam diutissime, non dico Franequerenses, id enim parum est, sed orbis Christianus, et reformata imprimis ecclesia tuis illis dotibus fruatur. Me quod attinet, in magna felicitatis parte pono, a tanto viro amari, ac inter amicos eius qualemcunque locū obtinere. Vale vir clariss. Dabam Leydæ raptim. 25 Martij 1644. seu 26 Mart. st. v.

Cl. t. R. studiosissimus

Jacobus Revius.

Reverendo, clariss. doctiss.
V. D. D. Joanni Coccejo
SS. Theologiæ et linguæ
Ebraicæ professori dig-
nissimo, Dño et amico
summopere colendo.

Franequera.

amicâ manu.

יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד

יְהוָה

Jesus Deus noster Jesus very Ch.
Jehova. Johovah,

962	1971
250	15
700	36
180	100
48	2122
2140	
2122	
18	

אֶחָד

1. Tim. 5. 24.